78.

CLARISSIMO VIRO,

IN PRAXI FELICISSIMO,

COLENDISSIMO PATRUELI,

D. D. PETRO-JOSEPHO

MORISOT DESLANDES,

SALUBERRIMÆ FACULTATIS

MEDICINÆ PARISIENSIS

DOCTORI-REGENTI,



In perpetuum grati animi & reverentiæ Monumentum Offert, Dicat & Consecrat

Devinctissimus & obsequentissimus
JEANNET DESLONGROIS,
Saluberrimæ Facultatis Parisiensis
Medicus.





DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-octavâ mensis Novembris, anno Domini MDCC. LXXVI.

M. DEODATO JEANROY, è Regiâ Societate Medicâ Parisiensi pro Epidemiis institutâ, Doctore Medico, Præside.

An in Hepate materiæ sanguinem colorantis defæcatio ?

I.



QUIBUSNAM principiis purpureus ille latex, sanguis, fons vitæ & sanitatis componeretur, diù antiquiores latuit tùm Medicos, tùm Chemistas. Neoterici arcanorum naturæ indagatores oculatissimi, alia naturæ, alia artis producta ideò maximè distinguenda intellexêre quòd sanguis vi ignis tortus adulterina præbeat principia : spontaneæ cruoris analyseos phœnomena, & varia elementa obsérvârunt, eumque in partem serosam,

salinam, lymphaticam & fibrosam mirati sunt abeuntem. Causa elegantioris coloris quo sanguis rutilat, peritissimos exercuit physicos; ad eam detegendam artificiosa tentavêrunt experimenta. An à nitro? An à sulphure? illa quidem ignis detegit & explicat; in vivi animalis sanguine nunquàm reperienda. Leewenhoeckius globulos asserit solitarios flavo colore essentialitér tingi, purpureumque colorem in congestione sex globulorum insidere. Probandum superest undè color flavus solitariis globulis; cur ex absolutè pellucidis sphærulis globuli efformantur flavi aut rubri? Nonne ex homogenei fluidi (ut vult author ille celeberrimus) particularum miscelâ exsurgere debet idem color? dein elutâ parte fibrosâ, pars colorans cum aquâ combinatur, eamque tingit, quibus diutiùs agitatis nihil de colore perit; motusque ille, vitali longè superior, ita rescindere, dividere, separare nequit globulos ut in luteas, pallidasve sphærulas trans-formentur; nec etiam Hallero illud systema arrisit, qui sanguinem non homogeneum esse fluidum, & sphærulas ex quibus coalescit sanguis in universùm rubras esse, obque eas solas cruorem rubere contendit, eo discrimine quòd color ille non ejusdem semper sit intensitatis; in animale sano, benè pasto, singulæ saturè purpureæ sunt; in animalibus inediâ exhaustis, languidis & debilibus, in chloreticis, melancholicis pallent eædem, inque luteum colorem degenerant. Causa verò illius coloris adhùc non innotescit: pars illa colorans alterum mihi videtur sanguinis principium, illudque lugendus admodùm M. Roux, publicas inter lectiones suspicari se professus est; ferrum quippè, si analogiam ducem sequamur, præsentiâ suâ & combinatione rubrum sanguini conciliare valet colorem. Quemadmodùm enim flores sic & sanguis à marte purpureum suum mutuantur colorem. Intrà vegetabilium vasa tenuissima, tenuior serpit ferrea pars; nec corporibus animalibus extranea dici potest; cùm nulli sint animalium cineres ex quibus non extrahatur, cùm sanguis eorum adeò ferro scateat, ut in cœruleum borussicum totum prorsùs ferreum arte vertatur. Faciliùs in plantis metalli illius præsentia evincitur, difficiliùs in animalibus, in utrisque tamen certissimè *, Sic Listerus *a*, Rhades *b*, Hallerus *c*, clarif. M. Lorry *d*, D. Cadet *e*, Pharmac. Paris. ferri præsentiam commonstravêre in lumbricis, in ossibus animalium, in calculo humano, in bile, plurimas in cruore micas detexêre. Undè ferrum sanguini adveniat, facilè attendenti patebit: quo organo deponatur, secernatur, illud nostrum est argumentum. Partis sanguinem colorantis copiam non mediocrem in bile reperiri in anteceſsùm ponimus, & hepar illius principii sanguinis esse organum colatorium.

* Veram esse terram ferri constat, quòd adjecto phlogystico, micæ de sanguine extractæ in verum ferrum fusæ convertantur: cum gallarum solutione atramentum efficiant: deniquè vitrum metallicum fusco calore tingant, ut ferrum solet.

a De Aquis Medic. Diss. 2.

b Pag. 6 & 7.

c Elementa Physiologiæ; Tom II.

d Vid. Aureum illius de Morbis Melancholicis.

e Vid. Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis Commentaria.

II.

AD interiorem corporis humani fabricam, ſi ſedulus attendas, fermè totam ex organis colatoriis efformari jurè ac meritò dixeris. Tot numerari poſſunt illa, quot numerantur in corpore humores, illudque prudenter ſummoque cum conſilio à ſupremo rerum Conditore fuit inſtitutum: idem enim motus, idem calor qui chylum in cruorem immutat, illum in lympham reſolvit, lympham in ſerum attenuat, ſerum deniquè difflat: ſolida etiàm afficit, deterit, abradit, immutat, imò deſtrueret ſi non daretur reparationis beneficium. Multiplicium itaquè organorum auxilio, diverſa ſanguinis principia combinantur, ſegregantur, trânſcolantur, immutantur, ne excepto quidem illo denſiſſimo, quod fibroſam partem dicunt, principio. Latex aqueus & ſalinus per renes & ſpiracula cutis amandatur; in ſubſtantiâ cerebri corticali, humor limpidus & tenuis ſecernitur; diſtillat in ore copioſus glandularum plurimarum ſuccus; æſophagus, ventriculus, inteſtina humore irrorantur peculiari; ſpiſſior humor teſtibus ſegregatur. Quæ omnia dùm œconomiæ animali ſancitas leges ſequuntur, vita ſanitaſque ſtant & vigent, ab humoribus ſuperfluis, nocivis liberatur ſanguis, & plurimos ad ſuî reparationem ſuccos deponit. Nulla verò ſecretio utilior, nulla reſorbtio, nulla excretio oportunior quam partis ſanguinem, colorantis, id eſt, quàm bilis.

III.

PARS ſanguinem colorans, principium illius laticis alterum, ab alimentis ſuppeditatum, cùm chylo adfertur. Poſt abſolutos plures circuitus, & repetitis contrà vaſorum parietes innumeris confricationibus, attenuantur, combinantur particulæ ferruginoſæ, evolvitur, expanditur phlogiſticon, cruoris purpura & calor adaugentur; principium illud colorans craſſius vaſa lymphatica non permeat, imò cùm lymphâ combinari difficillimè poteſt, ſin minùs ſtatus diceretur contrà naturam, inflammatio videlicet; nequaquàm cùm ſeroſâ parte combinationem patitur: inhæret autèm cùm gelatinosâ, fibroſâ vix ab illis ſeparandum. Nec omnibus in majoribus vaſis æquè abundat, & combinatur, illo turgent venæ. En verò elaboratum vi vitæ, eâdem percolatur, excernitur multos in uſus. Sanguis enim versùs hepar obliquè & reluctante proprio pondere ab omnibus inferioribus partibus redux aſcendit, plurimâ parte tingente fetus. Superſunt tùnc unicè pars rubra, pars oleoſa craſſior; de priori velocitate multùm amiſêre, indèque novam ineunt combinationem, & in venæ portarum radicibus jàm color ille ruber mutari diſcit; flavos non pauci Anatomiſtæ globulos annotârunt, bilem dixêre jàm efformatam. Ad hepar itaquè appellit pars illa colorans, ibique non minimam ſecretioni materiam ſuppeditat. Deniquè à ſuperfluâ, mox nociturâ parte liberatus cruor, ad cor vergit. Quò

magìs abundat illud principium, quò magìs rubet animalium ſanguis, eò copioſior ſecernitur bilis: in quibus è contrà materia colorans vix reperitur, illis parcior, à parte oleosâ craſſiori majori ex parte oriunda, acredine vitiatur, imò cauſtica eſt. Homo, quadrupeda animalia plurimùm habent ſanguinis rubri, bilem etiàm ſecernunt plurimam & blandiorem; parcior ranis eſt, pauciſſimus piſcibus.

IV.

ULTRO non pauca ſeſe offerunt argumenta quibus evincitur partis ſanguinem tingentis analogia cum bile. Ecquis inter corporis humores ad colorem ſanguinis propiùs accedit? Principium colorans ſanguini à naturâ inſitus eſt ſtimulus quo cordis & arteriarum irritabilitas meliùs excitatur *a*: bilis etiàm, clyſter ille naturalis, acrimoniâ ſuâ vellicat inteſtina, eorumque motum ſuſcitat & perennat. Novum itaquè habemus momentum analogiæ bilis cum prædicto principio. Utrumque ſuper abundare, utrumque deficere poteſt: quibus abundat, temperamentum bilioſum, calor acris; quibus deficit, phlegmaticum; frigida animalia æmulantur. Cutis ipſius color varius non aliam cognoſcit cauſam: quò ferrum abundat magis, eò ſanguis intenſiùs rubet, & ſuum partibus omnibus, cuti etiàm impertitur colorem: indè bilioſo temperamento præditis ſubflava cutis eſt. Si pars ferruginea ſanguinis exuberet, calore ſummo extramodùm expandatur, ad minima vaſa tranſit, textu cellulari irretitur magìs ac magìs, coacervatur, denſatur, & cutis colorem reflectit flavum, nigreſcentem, nigrum. Nec inficias ibis illud calori generando principium inſervire; quibus enim animalibus pleno fluit alveo, calor iiſdem accenditur, minimus autèm ſentitur iis quæ pallido, frigido donantur ſanguine. Denique analyſi chemicâ probata bilis, eadem præbet principia, quæ pars ſanguinem colorans, id eſt, ſpiritum alkalinum volatilem fluidum, alkali volatile concretum, oleum empyreumaticum, & carbonem qui cum acidis plurimâ aquâ dilutis efferveſcit, & ſyrupo violarum colorem viridem inducit. Hìnc pars illa bilem & ſanguinem colorans à cæteris eorumdem principiis diſcrepant, quorum cineres nihil ſimile continent.

V

NUNC in morboſo ſtatu prædictam noſtram ſententiam probat obſervatio. Si ſanguis partem ſui colorantem deponere impediatur à quolibet hepatis vitio, icterus producitur in quo jàm corpus rubicundo non honeſtatur, ſed flavo deturpatur colore; in quo cutis, morbo longiùs protracto, colore plumbeo vel cœruleo-viridi, livido aut fuſco defædatur. Deniquè in cadaveribus cultrum anatomicum exhibet non ſolùm textum cellularem, omniaque viſcera, ſed etiàm cartila-

a Vid. Theſ. colendiſſimi M. Coutavoz, an arteriæ ut ſenſibiles, sic & irritabiles.

gines & oſſa colore flavo tincta, non secùs ac cutis. Poſtremò cruor per contuſionem, ecchymoſim extrà propria effuſus vaſa, à rubro degener colore, varios colorum gradus & lineamenta percurrit, & in flavum ultimò mutatur. Necnon & therapeia noſtram confirmat opinionem: illos aſpicias qui vel diuturniori morbo detenti fuêrunt, vel conſtitutione imbecilliori & cachexiâ laborant, vel quibus pubertatis ſigna ægriùs apparent; iis vis vitæ minor, pallet ſanguis, ferè proſtrata languet machina. Ars auxiliatricem porrigit manum: martis præparationes adhibentur, jàm torpor omnis fibrarum excutitur, ſanguis cùm colore vigorem concipit, & impertitur.

At, inquies, claudo pede ſtat tua propoſitio, ſi chylus amiſſorum benignus reſtaurator, ex alimentorum parenchymate expreſſus, albo donetur colore; nec alium poſſit conferre colorem, dùm rutilo miſcetur flumini. Experientia verò illius argumenti vim omninò infringit, & probat omnia colorum principia ſuâ coloranti virtute totiès defraudari, quotiès non præparantur, non combinantur: bilem naturâ ſuâ flavam, cùm aquâ diutiùs agitatam ad album tranſire colorem, attamen ferri plurimùm continere: ſanguinem ipſum congeſtum, vi vaſorum quaſſatum in inflammatione, ſi reſolutio fiat, mutationes colorum de quibus in quarto hujuſce theſeos paragrapho mentionem fecimus, experiri; ſi ſuppuratio adſit, ejuſdem laticis principia ità de novo combinari, ut materiam efforment albam, purem dictam. Nihil itaquè obſtat quin ad concluſionem properemus:

Ergò in Hepate materiæ ſanguinem colorantis defæcatio ?

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius-Antonius CAILLE, *è Regiâ Societate Medicâ Pariſienſi pro Epidemiis inſtitutâ, è Societate Medicâ Edimburgenſi.*

M. Philippus-Alexander BACHER.

M. Claudius-Andræas GOUBELLY, *Chirurgiæ Latino Idiomate Profeſſor deſignatus.*

M. Antonius-Laurentius DE JUSSIEU, *Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, è Regiâ Societate Medicâ Pariſienſi pro Epidemiis inſtitutâ.*

M. Joannes-Jacobus NOLLAN.

M. Benjaminus-Michaël SOLIER DE LA ROMILLAIS, *Anatomes & Artis obſtetriciæ in gratiam Matronarum Profeſſor.*

M. Ludovicus-Maria POUSSE, *Eques & Cenſor Regius.*

M. Antonius CASA-MAJOR, *Cenſor Regius.*

M. Raymundus DE LA RIVIERE.

Proponebat Pariſiis JOANNES-BAPTISTA-CLAUDIUS JEANNET DES-LONGROIS, Arcyanus, Trecenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, necnon Theſeos Auctor. A. R. S. H. 1776. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1776.